



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Canones Editi Svb Edgardo Rege, Et Ad Leges Svas pertinentes, vt in
veterrimo manuscripto codice Saxonico collegii corporis Christi
Cantabrigiae reperiuntur, sub hoc frontispicio: Haec quae sequuntur ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

positus regis & episcopi sacerdos illius ecclesie, & reddat ecclesie cui pertinebit decimam suam, & nonam partem dimittant ei qui decimam suam detinuit, & octo partes in duo diuidantur, dimidium domino, dimidium episcopo, sit homo regis, sit homo thayni.

V.

Et omnis heordpen reddat ad festum sancti Petri, & qui non soluit ad terminum illum, deferat eum Romam, & etiam triginta denarios, & afferat inde significationem quod tantum ibi reddidit. Et cum redierit domum, emendet centum viginti solidos. Et si iterum reddere nolit, deferat eum Romam, & emendationem eandem. Et cum redierit, emendet centum viginti solidos regi. Ad tertiam vicem, si adhuc non reddiderit, perdat totum quod habebit.

VI.

Et solenne diei dominice conferuetur ab hora nona sabbati vsque ad lucidum diei lune, super forisfactura quam liber iudiciorum dicit & docet. Et alia festiuitas, sicut a sacerdote nuntiabitur. Et omne indictum ieiunium cum omni deuotione feruetur.

CANONES EDITI

SVB EDGARO REGE, ET AD LEGES SVAS

pertinentes, vt in veterrimo manuscripto codice Saxo-
nico collegii corporis Christi Cantabrigie reperiun-
tur, sub hoc frontispicio:

*Hæc quæ sequuntur pertinent ad constitutiones Edgari regis,
de ordinatorum viuendi formula.*

I.

DOCEMVVS vt ministri Dei ardentius Deo seruiant & ministrent, & pro omni Christiano populo apud Deum intercedant; & vt eorum singuli superioribus suis fideles sint & obedientes, & in communi necessitate vnanimis, auxiliumque inuicem præstantes coram Deo & hominibus, & vt sæcularibus suis dominis firmi etiam sint & fideles.

CIRCA
ANNVM
CHRISTI
967.

II.

Docemus etiam, vt vnusquisque alterum honore prosequatur, & vt iuniores senioribus obedientiam religiose præbeant & amorem: fenioresque iuniores suos diligenter instruant.

III.

Docemus etiam, vt ad Synodum vnamquamque annuo habeantur libri & vestimenta seruitio Dei congruentia: nec non atramentum & pergamena ad eorum constitutiones describendas: triduanusque insuper commeatus.

IV.

Docemus etiam, vt sacerdos quilibet ad Synodum veniens clericum suum habeat, & * manupastum suum seu fidelem in ministrum, neminem autem incognitum, aut stultitiæ deditum: & adueniant omnes in fidelitate & timore Dei omnipotentis.

V.

Docemus etiam, vt si mali quid acciderit sacerdoti, vel ei quis iniuriam fecerit, Synodo referat, suscipiantque omnes vt illatam omnibus, ferantque opem vt emendatio fiat pro arbitrio episcopi.

VI.

Docemus etiam, vt sacerdos faciat Synodo innotescere, si quem in parochia sua in Deum reperit contumacem, vel qui graue aliquod peccatum foueat, nec hunc valeat audeatque ob metum sæcularium ad reformationem perducere.

VII.

Docemus etiam, vt inter sacerdotes non sint lites siue iurgia, nec ad arbitrium sæcularium deferantur; sed vel a paribus suis sint composita, vel, si opus fuerit, ad episcopum promouentor.

VIII.

Docemus etiam, vt nullus sacerdos e propria sua voluntate ecclesiam deserat cui siue consecratus siue benedictus fuerat, sed habeat eam pro legitima coniuge.

IX.

Docemus etiam, vt nullus sacerdos his se intromittat quæ ad alium spectant sacerdotem: siquidem nec in sua ecclesia, nec in sua parochia, nec in suo sodalicio seu fra-

ternitate, nec in re alia quapiam ad eundem pertinente.

X.

Docemus etiam, vt nullus sacerdos alterius scholasticum subtrahat, eius non impetrata venia ad quem prius pertinuit.

XI.

Docemus etiam, vt sacerdos quilibet ad augendam scientiam opificium discat diligenter.

XII.

Docemus etiam, vt doctus quisque sacerdos semidoctum aliquem non respuat, sed qua poterit operam det vt doctiorem reddat.

XIII.

Docemus etiam, vt nullus sacerdos claris ortus natalitiis inferioris stirpis sacerdotem leuipendat: recte enim sentienti omnes homines sunt eiusdem genituræ.

XIV.

Docemus etiam, vt sacerdos quilibet bene se gerat, nec mercator sit indebite, nec mercaturæ.....

XV.

Docemus etiam, vt sacerdos quilibet baptismum administret quam cito requisitus fuerit: & vt per parochiam suam quosque moneat vt infantes quoslibet intra xxxvii. noctes curent baptizari, & vt nullus ab episcopo confirmari diu nimium detrectarit.

XVI.

Docemus etiam, vt singuli sacerdotes Christianam religionem omni promoueant diligentia, neruisque omnibus gentilium deleant superstitiones. Prohibemus vtique fictas ad libitum adorationes, necromantiam, diuinationes, incantationes, hominum cultus diuinos, & quæ præterea mortales adigunt in varios errores & in *frithsploottum and ou ellenum*, variarumque aliarum arborum, saxorum, & rerum multiplicium phantasmata, quæ decipiunt multos quos non deberent.

Col. 2. 23.
i. Sine Sponsione

XVII.

Docemus etiam, vt Christiana quisque imbutus fide, liberos suos fide etiam imbuat Christiana: eosdemque doceat Pater noster & Credo, *id est orationem dominicam, & symbolum apostolicum.*

XVIII.

Docemus etiam, vt in festis diebus vnusquisque abstineat a carminibus seu canticis gentilium profanis, & a * ludis diabolicis.

XIX.

Docemus etiam, vt in die solis quisque abstineat a mercatura & popularibus comitiis.

XX.

Docemus etiam, vt vnusquisque abstineat a fabulosis & absurdis lectionibus; quin & a cantilenis turpibus & blasphemis.

XXI.

Docemus etiam, vt quisque abstineat a contubernio pellicis, & legitimum amplectatur coniugium.

XXII.

Docemus etiam, vt quisque discat Pater noster & Credo, priusquam in consecrato sepeliatur cœmeterio, vel idoneus censeatur eucharistiæ percipiendæ: propterea quod Christiani non est dignus nomine qui hæc noluerit ediscere, nec in baptismo alios valeat e sacro leuare fonte, nec in confirmatione a manibus episcopi fuscipere, si hæc prius non calluerit.

XXIII.

Docemus etiam, vt festis diebus & in ieiuniis nulla sit inter homines vltra modum contentio.

XXIV.

Docemus etiam, vt festis diebus & in ieiuniis nulla habeatur aut iuramentorum aut ordalii (*hoc est forensium examen*) administratio.

XXV.

Docemus etiam, vt festorum temporibus & statis ieiuniis coniugatus quilibet ab vxore sua se contineat.

XXVI.

Docemus etiam, vt sacerdotes ecclesias suas omni honorificentia custodiant in diuinum ministerium purumque seruitium, & in nihilum præterea: nec illic hi permittant quid superflui, ne vel intro, ne vel in proximo. Nihilum illic vaniloquium, nihil factum indecore. Non hic inordinatæ computationis locus, nec vanitatis vnquam

Ecclesiarum obseruatio.

alicuius, nec ecclesiæ cœmeterium canis intret, nec porcorum plures quam * quis possit regere. * custos

XXVII.

Docemus etiam, vt nemo quid in ecclesia reponat, quod illic habeatur indecorum.

XXVIII.

Docemus etiam, vt in ecclesiarum encaniis vnusquisque se modestum exhibeat, & orationi incumbat diligenter, non poculis, non luxui deditus.

XXIX.

Docemus etiam, vt nemo quempiam in ecclesia sepe- liat, quem non constat ex vitæ probitate Deo placuisse, & ex eo iudicetur huiusmodi sepultura dignus.

XXX.

Docemus etiam, vt nullus sacerdos Missam celebret in vlla domo quæ non sit ecclesia consecrata, nisi ob extremam alicuius ægritudinem.

XXXI.

Docemus etiam, vt sacerdos ne vel vnquam Missam celebret, præterquam super altare consecratum.

XXXII.

Docemus etiam, vt sacerdos nunquam Missam celebret sine libro: habeatque igitur ipsum Canonem coram oculis, ne alioquin impingat.

XXXIII.

Docemus etiam, vt sacerdos quilibet Missam celebrans habeat vestem, quam dicunt corporalem, * subumlemque infra albam suam, & Missalia omnia, prout decet, vestimenta debite contexta.

XXXIV.

Docemus etiam, vt vnusquisque sacerdos solícite curet vt librum probum habeat, saltem vel fideliter correctum.

XXXV.

Docemus etiam, vt nullus Missalis sacerdos Missam solus celebret, ne sic desideretur qui respondeat.

XXXVI.

Docemus etiam, vt nemo non ieiunus eucharistiam accipiat, nisi ob nimiam ægritudinem.

XXXVII.

XXXVII.

Docemus etiam, vt nullus sacerdos Missam sapius in vno die celebret quam ter ad summum.

XXXVIII.

Docemus etiam, vt sacerdos semper habeat præparatam prout opus fuerit eucharistiam, & hanc in puritate custodiat, caueatque ne inueterascat. Sin diutius seruata fuerit quam oportuit, & vt nauseam pariat, comburetur tunc in puro igne, condanturque cineres sub altari, & noxæ reus apud Deum componat.

XXXIX.

Docemus etiam, vt ne vel vnquam sacerdos adeo temerarius sit vt Missam celebret nisi omnia habeat ad eucharistiam pertinentia: scilicet oblationem puram, vinum purum, & aquam puram. Væ illi qui Missam occeperit, istorum aliquo desiderato, & væ illi qui turpe aliquid in hoc patrauerit: similis enim est Iudæis illis qui acetum & fel commiscuerunt, & per ludibrium postea Christo porrexerunt.

XL.

Docemus etiam, vt ne vnquam dignus sit sacerdos Missam celebrare, qui ipse eucharistiam non percepit: nec in sacris ordinibus alium consecret, qui nunquam ipsemet consecratus fuit.

XLI.

Docemus etiam, vt quiuis calix quo quis eucharistiam consecrauerit fusilis sit, & in ligneo ne omnino consecrato.

XLII.

Docemus etiam, vt omnia circa altare & ad ecclesiam pertinentia mundissima sint, & apprime concinnata. Indignum nihil huc accedat, sed quod sanctum est honorifice reponatur, & semper in ecclesia lumen ardeat dum Missa decantetur.

XLIII.

Docemus etiam, vt nemo negligat sacratum aliquid: aquam scilicet benedictam, sal, thus, panem, & huiusmodi cetera.

XLIV.

Docemus etiam, vt altari mulier non appropinquet, dum Missa celebretur.

Concil. Tom. 25.

XLV.

Docemus etiam, vt quis stans temporibus campanas pulset, & vt omnis tunc sacerdos cantum suum horarium in ecclesia psallat, Deum in timore inuocet solícite, & pro omni populo preces fundat.

XLVI.

Docemus etiam, vt nec Missalis sacerdos nec parochialis aliquis intra ostium ecclesiæ veniat, vel intra cancellos absque superiori suo indumento: nec ad altaris vnamquam ministerium absque vestitu designato.

XLVII.

Docemus etiam, vt nemo in sacris ordinibus constitutus casariam alat, nec tonderi perperam se permittat, si Dei benedictionem sperauerit, & sancti Petri, & nostram.

XLVIII.

Docemus etiam, vt in festiuitatibus & ieiuniis celebrandis sacerdotes omnes sint vnanimes, eademque vno & eodem modo indicent populo, ne hunc alioquin in errorem ducant.

XLIX.

Docemus etiam, vt ieiunium omne erogatis eleemosynis fiat gratius: quisquis enim ex deuotione erga Deum solícite elargitur eleemosynas, ieiunium suum procul dubio apud Deum reddit complacentius.

L.

Docemus etiam, vt sacerdotes in ecclesiæ ministeriis vnanimiter operam nauent, & in omni ecclesia consimile stipendium annuum mereantur.

LI.

Docemus etiam, vt sacerdotes sedulo erudiant iuuentutem, & ad artificia ediscenda eos pertrahant, futuros vtpote in rem ecclesiæ.

LII.

Docemus etiam, vt sacerdotes in qualibet die solis populo prædicent, præbeantque se exemplum bonæ vitæ.

LIII.

Docemus etiam, vt nemo Christianus vilius generis sanguinem comedat: *litura opprimit sequentia.*

LIV.

Docemus etiam, vt sacerdotes populum instruant de his quæ de iure Deo sunt reddenda; decimæ scilicet & res

aliã, inter quas & illa primum quæ aratri dicitur eleemosyna, alias cirifceatum, & primitiæ feminum intra quindecim noctes a paschatis festo: fetuum decimæ ante pentecostem: fructuum terræ ante omnium sanctorum celebritatem: nummus Romanus, qui denarius sancti Petri dicitur, ad festum vinculorum eius: & cirifceatum, id est primitiæ feminum, ad Missæ sancti Martini celebrationem, id est tertio Iduum Nouembris, soluantur.

L V.

Docemus etiam, vt sacerdotes ita distribuant populi eleemosynas, vt & Deum reddant magis propitium, & populum ad eleemosynas procliuiorem.

L VI.

Docemus etiam, vt sacerdotes psalmos canant cum datas distribuunt eleemosynas, hortenturque pauperes, vt pro populo qui has dabant sollicitè intercedant.

L VII.

Docemus etiam, vt sacerdotes ipsi ebrietatem caueant, aliisque perhibeant studiosius cauendam.

L VIII.

Docemus etiam, vt nullus sacerdos aut poeta sit, aut vllatenus histrio, siue vt sibi placeat, siue vt aliis: ita autem se gerat vt ordini suo conuenit, prudentem scilicet & pro dignitate grauem.

L IX.

Docemus etiam, vt sacerdotes ne iurent caueant: alioque a iurando cohibeant.

L X.

Docemus etiam, vt nullus sacerdos mulierum consortium plus æquo diligat, sed propriam suam vxorem diligito, id est ecclesiam.

L XI.

Docemus etiam, vt nullus sacerdos falso adstet testimonio, nec sit furibus a consiliis

L XII.

Docemus etiam, vt sacerdos nunquam se ordalio implicet præter debitum suum officium, nec forensibus iuramentis.

L XIII.

Docemus etiam, vt sacerdos * contra thanum in compurgatione non iuret, nisi thanus præiurauerit.

Concil. Tom. 25.

V ij

* vel cum
thano,
id est,
barone.

LXIV.

Docemus etiam, vt sacerdos non sit venator, nec accipitrarius, nec potator, sed libris suis versatus, prout ordini suo conuenit.

LXV.

Docemus etiam, vt sacerdos quilibet confessionem doceat & pœnitentiam, nec non vt peccata confitentes satisfactionem vtique prosequantur. Ægrotis etiam, prout opus fuerit, eucharistiam præbeat, & (si desideretur) vntionem. Post obitum inuolucro sedulo detur, & apud corpus nihil permittatur vanum, aut indecorum, sed in timore Dei sepelitor.

LXVI.

Docemus etiam, vt sacerdos quilibet oleum habeat, cum ad baptizandos infantes, tum ad ægrotos vngendos, & reliquum omnem apparatus publicis suis debitum ministeriis. Fidem Christianam modis omnibus promoueto; hinc bene prædicando, illinc bene viuendo exemplum præbens: tunc lucrabitur vt omnipotens Deus ei sit propitius.

LXVII.

Docemus etiam, vt sacerdos quilibet chrisma repetens ab episcopo non obliuiscatur enarrare quid in orationibus suis pro rege fecerit & episcopo.

DE CONFESSIONE.

I.

Modus
confitendi.

Quando aliquis voluerit confessionem facere peccatorum suorum, viriliter agat, & non erubescat confiteri scelera & facinora se accusando: quia inde venit indulgentia, & quia sine confessione nulla est venia: confessio enim sanat, confessio iustificat.

Magna hic lacuna siue spatium ἀγαφῶ in manuscripto codice, cui cetera alias inserturus videbatur scriba.

Præueniat hunc famulum tuum quæso Domine misericordia tua, vt omnes iniquitates eius celeri indulgentia deleantur per Iesum Christum Dominum nostrum.

Exaudi quæso Domine supplicum preces clamantium ad te quæso Domine.

II.

Hoc illi serio cogitandum est qui hominum animabus medicus constituitur, vt eorum nouerit actiones: eas scilicet recte vt discriminet, rectamque teneat in censura singulis imponenda rationem. Vt cumque res se habuerit, ne præiudicet peccatorem medicus, nec in desperationem eum adigat. Cum vero quis peccata sua confiteri uoluerit, exaudiet eum primo comiter quamnam sit hæc sua intentio, & vtrum velit & possit ea quæ patrauerit humiliter confiteri, & reatus suos quoscumque perscrutari.

Officium
confessarii.

III.

Interroga ipsum de sui ipsius moribus: extorque scelera, & quæ fecit propone omnia: sed hoc tecum semper recognoscens, vt vno eodemque modo nunquam iudicabis diuites & pauperes, liberos & seruos, seniores & iuuenes, firmos & infirmos, humiles & superbos, fortes & debiles, ordinatos & sæculares.

Iudex prudens prudenter distinguet de facto; quod videlicet, quomodo, vbi, & quando sit perpetratum. Et quamuis nullo loco seu tempore licitum sit peccatum, festis tamen diebus, & in ieiunii temporibus, festiuisque locis, cautius quisque ab hoc tenetur abstinere. Quanto etiam quis potentior est, & maioris dignitatis, tanto grauius pro peccatis coram Deo & hominibus corrigendus est: forti enim atque debili non imponetur onus simile, nec infirmo quidem prout firmo, sed prudenti inter istos moderamine distinguendum est.

IV.

Post hæc assurgat humillime pœnitens ad confessionem suam, & primo dicat: Credo in Dominum Patrem altissimum, rerum omnium gubernatorem: & in Filium, & in Spiritum sanctum: & credo esse vitam post mortem. Et credo me resurrecturum in die iudicii: & credo me per potentiam Dei & ipsius misericordiam hisce omnibus dignum fore.

Fidei sym-
bolum.

V.

Post hæc lugenti animo confessionem suam suo confessario humillime referat, & conquiniscens dicat suppliciter in hunc modum :

Confessio-
nis forma.

Confiteor Deo omnipotenti, & confessario meo spiritali medico, omnia peccata quæ malorum spirituum inquinamento vnquam perpetraui; siue in factò, siue in cogitatione, siue cum masculis, siue cum feminis, aliave creatura, siue secundum naturam, siue contra naturam.

VI.

Confiteor ingluuiem ciborum & mane & vesperi. Confiteor omnimodam auaritiam, & inuidiam, & detractionem, & bilingue vitium, mendacitatem, & inanem iactantiam, & vaniloquium, prodigalitem impiam, & cuiusque generis fastum, qui effrenato huic corpori meo aliquammodo acciderit. Confiteor me frequentius fuisse peccati auctorem, peccati fautorem, peccati conscium, & peccati doctorem.

VII.

Confiteor animo meo perpetratum homicidium, periuria, seditionem, superbiam, & neglectum præceptorum Dei. Confiteor omnia quæ oculis vnquam viderim, vel concupiscendo vel vituperando indebite: etiam omnia quæ vel auribus audiuerim vana & superflua, vel ore meo locutus fuerim.

VIII.

Confiteor etiam corporis mei peccata omnia, cutis, carnis, ossium & neruorum, renum, & cartilaginum, linguæ & labiorum, faucium, dentium, & cæfariei, medullæ, & rei cuiusque alterius, quæ vel mollis est vel dura, humida vel sicca. Confiteor baptismum meum me peius obseruasse quam Domino meo sum pollicitus, professionemque qua tenebar in Dei & sanctorum suorum laudem custodire, & in mei ipsius salutem æternam. Confiteor me horas meas canonicas sæpius neglexisse, sæpiusque peierans Domini vitam & nomen eius in vanum accepisse.

IX.

Rogo & obtestor Dominum meum pro his omnibus remissionem, vt in me nunquam ex insidiis præualeat diabolus, ne forte moriar absque confessione, & peccatorum

meorum emendatione, sicut hodie confessus sum omnia mea peccata coram Domino nostro saluatore Christo, qui cælum & terram moderatur, & coram sacro isto altari, & reliquiis istis; & coram confessario meo & Domini Missali sacerdote: & sicut puram edidi & veracem confessionem, & prompti sum animi corrigere omnia peccata mea, & qua possim sedulitate ea semper postea declinare.

X.

Et tu, Iesu Christe saluator mi, miserere animæ meæ, & remitte, precor, deletoque peccata mea & transgressiones meas, quæ vel olim vel recentius vnquam perpetravi; & ducas me in sublime regnum tuum, vt illic verfer cum electis & sanctis tuis absque fine & in æternum. Nunc & te humiliter obsecro, sacerdos Domini, vt tu mihi testis sis in die iudicii, vt nullam in me potestatem habeat diabolus, & vt tu apud Dominum mihi sis causidicus, vt peccata mea & transgressiones commissas corrigam, & ab eiusmodi aliis committendis desistam. Ad hoc præstandum adiuuet me Dominus ille qui viuit & regnat absque termino in æternum. Amen.

MODVS IMPONENDI POENITENTIAM.

I.

Si quis senex vel iuuenis, diues vel pauper, sanus vel infirmus, alteriusve alicuius ordinis, inuitus peccauerit, non ita accipiendum est tamquam voluntarie fecisset, vel ex industria. Si quis etiam necessitate coactus mali quidpiam perpetraverit, ex hoc ipso quod necessitate coactus perpetravit, veniam & censuram mitiorem semper mereatur.

II.

Caute distinguendum est de quolibet facto, Dei atque hominum causâ.

Hæc ministeria obseruantur in partibus transmarinis.

III.

Omnis episcopus sedem suam episcopalem capeat in die illa Mercurii, quæ caput ieiunii appellatur, & tunc ad eum veniat vnusquisque illius diœcesis qui capitali laborat crimine, & cum hoc confessum fuerit, docebit eum confessarius poenitentiam iuxta rationem cuiuslibet rea-

tus sui. Dignus vero si quis sit sententia grauiori, separabit eum ab ecclesiastica communione, concedet tamen & hortabitur, vt negotia sua necessaria exequatur, & sic demum impetrata venia domum redeat.

I V.

Post hæc etiam in die Iouis paschatis festum præcedentis conuocantur omnes vtique ad eundem locum, decantansque super eos episcopus hymnorum aliquid, absolutionem eis cedit, & reuertendi domum cum benedictione concedit veniam. Hoc ab omnibus Christianis obseruandum est.

V.

Verumtamen debet sacerdos, puta parochialis, diligentius indagare, quali contritione, & quali insuper perfectione vel plenitudine impositam sibi pœnitentiam vnusquisque perimpleuerit, & secundum hanc remissionem exhibere.

VI.

Si laicus alium sine causa occiderit, pane & aqua septem ieiunet annos, & eorumdem quatuor prout confessarius suus instituerit. Emensa vero septennali illa pœnitentia, scelus tamen semper lugeat omni qua poterit industria, propterea quod incognitum est hominibus qualiter apud Deum valuit eius pœnitentia.

VII.

Qui alterum voluerat occidisse, & implere nequierat desiderium, annos tres ieiunet, vnum scilicet pane & aqua, eorumque duos prout confessarius suus ipsi imposuerit.

VIII.

Si laicus alium * inuitus occiderit, tres annos ieiunato, vnum pane & aqua, & eorum duos vt confessarius eius indicauerit, & transgressiones suas semper deplorato.

IX.

Si fuerit subdiaconus, ieiunet sex annos.

Si fuerit diaconus, ieiunet septem annos.

Si fuerit Missalis sacerdos, ieiunet decem annos: & episcopus duodecim annos, & semper lugeat.

X.

Si quis filium suum ita castiget vt inde moriatur, licet contra voluntatem suam, ieiunato quinque annos pane & aqua, vt supra.

XI.

XI.

Si episcopus, vel Missalis sacerdos, aliquem occiderit, amittat ordinis sui dignitatē, & pœnitentiam semper agat.

XII.

Si mulier infantem aut in vtero suo necauerit, aut cum iam in lucem ediderit, siue potione adhibita, siue re alia quacumque eiusmodi, ieiunato decem annos, tres videlicet in pane & aqua, & septem reliquos prout confessarius suus per misericordiam imposuerit, factumque semper defleat.

XIII.

Si quis * *abt* suum sine causa in furore suo occiderit, tres annos ieiunato.

* *zht,*
id est,
pecu-
nia, pos-
sessio, pe-
cus, &
fructu
manci-
pium.

XIV.

Si vxorem ex impia aliqua zelotypia maritus verberauerit, & illa inde moriatur insons, ieiunet tamen annos tres, & ipsius nequitiam semper defleat.

XV.

Si quis seipsum sponte interfecerit, siue mucrone aliquo, siue diabolica alia instigatione, nulli licitum est pro istiusmodi Missam decantare, nec cum psalmodia corpus eius terræ tradere, nec honesta positum sepultura humo condere. Illud idem iudicium in eum exequendum est qui flagitii causa vitam tormentis finierit, latro siquidem, & homicida, & domini sui proditor.

XVI.

Si quis viginti, * annos natus se cum bestia coinquinauerit, vel masculus cum masculo, ieiunet annos quindecim: & si vxorem habeat, fueritque ipse quadraginta annorum ætatis, & tale quid fecerit, abstineat iam, & ieiunet totius vitæ spatio; nec præsumat, donec moriturus sit, corpus Domini suscipere. Iuuenis & inspiens acriter flagellabuntur, qui simile quidpiam perpetraverint.

* *Sax.*
hiemes

XVII.

Quisquis coniugium fregerit, siue vxor, siue maritus, tres dies in qualibet hebdomada pane & aqua per septennium ieiunato.

XVIII.

Quisquis vxorem suam repudiat, & aliam ducit, coniugium soluit. Non enim abiiciat quisquam (vitæ aut mortis intuitu) eorum quidpiam quæ iure debito ad Christia-

nos pertinent, nec sepeliatur ille qui hoc facit inter Christianos, & de vxore idem fiat. Propinqui etiam qui his aderant a consilio, eadem plectantur sententia, ni citius resipiscant, & diligenter emendent.

XIX.

Si quis vxorem habeat, & etiam concubinam, nihil ei Christianorum iurium præbeat sacerdos aliquis, nisi pœnitens redeat ad emendationem; eademque illi lex esto, fueritne femina siue coniugata, siue concubina.

XX.

Si coniugatus quispiam cum legitima alterius vxore adulterium patrauerit, vel vxor ipsa cum legitimo alterius marito, ieiunet vterque septem annos; tres nimirum in pane & aqua, & quatuor reliquos prout docuerit confessarius: lugeat autem transgressiones suas quoad mortem.

XXI.

Si mulier aliqua duos sibi accipiat fratres in coniugium, alterum scilicet post alterum, iudicio sint obnoxii, & instant pœnitentiæ, vsquedum vixerint, solertissime, prout instruxerit ipsorum confessarius: morientibus demum debita Christianorum * obsequia sacerdos illis conferat; si & hoc promiserint, se diutius acturos fuisse pœnitentiam, si diutius eis viuere contigisset.

* alii scribunt, ad opus viaticum & venerationem.

XXII.

Si quis in impii alicuius peccati exercitio per totius vitæ suæ spatium manserit absque omni resipiscencia, nescimus quid huic consilii excogitemus, nisi quod ad Dei pertineat iudicium, & absolui non poterit.

XXIII.

Si quæ mulier viro desponsata sit, non licet alteri hanc abducere: si quis hoc fecerit, sit excommunicatus.

XXIV.

Si quis nuptam aut virginem inuitam dolo rapuerit ad illicitum concubitum, anathema sit.

XXV.

Si quis suis illecebris alterius * pedissequam stupri causa seducat, & cum eadem inuita concubat, si ordinatus sit, amittat ordinis dignitatem, sin vero laicus, totius rei Christianæ communionem careat.

* vel seruam, ancillam,

XXVI.

Si quæ virgo desponsata sit, & ante nuptias consummata captiua fiat, vel ex alia occasione ab illo cui despondebatur elongata, & contingat postea vt ipsa in conspectum sponsi sui veniat, data iam tum venia possunt ii coire, propterea quod hæc ab illo inuita aberat.

XXVII.

Si femina ordinem religiosum susceperit, & postea ad mundanas rediens vanitates familiæ susceperit administrationem, cogitans apud se, vt e facultatibus suis Deo a quo declinavit satisfaciatur, hoc omnino nihili est, ni peccatorum etiam declinet consuetudinem, & ad Christum redeat, vitam suam sic instituat, vt confessarius suus docuerit, & transgressionem semper corrigat studiose.

XXVIII.

Si Missalis sacerdos, siue monachus, hominem occiderit, ordinis amittat dignitatem, & ieiunet decem annos, scilicet quinque annos pane & aqua, & per alterum quinquennium tres dies in qualibet septimana, in reliquis autem cibo fruatur, & donec vixerit crimen lugeat diligenter.

Diaconus octo annos pane & aqua, & reliqua vt supra.

Clericus sex annos, vnde quatuor pane & aqua.

Laicus quinque annos, tres pane & aqua, vt supra.

XXIX.

Si quis ordinatum occiderit, aut sui ipsius proximum cognatum, dimittat terras suas & facultates, & fiat ei vt papa instituerit, & præterea semper defleat.

XXX.

Si Missalis sacerdos, siue monachus, lasciuum coitum concupiscat, vel coniugium violauerit, ieiunet decem annos, & semper defleat; diaconus septem, clericus sex, laicus quinque. Ita fiat.

XXXI.

Si Missalis sacerdos, siue monachus, vel diaconus, legitimam uxorem habuit priusquam ordinem induerat, & relicta ea sacros ordines ingrediatur, postea tamen libidine pruriens eam denuo clam susceperit, ieiunet eorum quilibet tamquam pro homicidio, & lugeat insuper vehementius.

Concil. Tom. 23.

X ij

XXXII.

Si Missalis sacerdos, vel monachus, vel diaconus, vel laicus, vel clericus, cum moniali fornicauerit, ieiunet quilibet prout ordini suo conuenit, tamquam pro homicidio, & quoad vixerit a carne abstineat. Monialis autem decem annos, sicuti & sacerdos Missalis; & semper factum lugeat.

XXXIII.

Si quis cum moniali vellet rem habere, & ipsa abnuerit, ieiunet ille propter impiam illam cogitationem annum vnum pane & aqua. Si quis cum legitima alterius vxore rem habere vellet, & ipsa noluerit, ieiunet ille propter impiam illam cogitationem annum vnum pane & aqua.

XXXIV.

Si quis cum alterius legitima vxore vellet rem habere, & ipsa id noluerit, ieiunet ille tres quadagesimas pane & aqua; primam scilicet in aestate, alteram in autumno, & tertiam in hieme.

XXXV.

Si quis velit cum femina rem illicitam habere, ieiunet quadraginta dies in pane & aqua.

XXXVI.

Si quis alium cum filia deprehenderit, componat reus cum amasia, & ieiunet vterque per annum vnum in diebus Mercurii & Veneris; ceteris vero fruantur quouis cibo, praeter carnem, & legitimú amplectantur coniugium.

XXXVII.

Si quis cum bestia coeat, ieiunet quindecim annos, scilicet octo pane & aqua, & in septem reliquis tres quadagesimas quolibet anno; diebus etiam Mercurii & Veneris, vsquedum vixerit, & debeat semper iniquitatem illam.

XXXVIII.

Si quis propria sua voluntate seipsum polluat, ieiunet tres annos, & in eorum quolibet quadraginta dies in pane & aqua, & abstineat a carne in vnaquaque, excepta die solis.

XXXIX.

Si quis alium veneficio interfecerit, ieiunet septem annos, videlicet tres annos pane & aqua, & in quatuor reliquis tres dies cuiuslibet septimanæ pane & aqua, & semper lugeat.

XL.

Si quis alicui morbum intulerit, ieiunet tres annos, vnum scilicet pane & aqua. Sin vero exinde moriatur, tunc ieiunato septem annos, sicut hic adscriptum est, & peccata sua semper lugeat.

XLI.

Si quis veneficio vtatur in alterius amore comparando, eique ideo pharmacum misceat, aut philtrum, ad edendum vel bibendum, aut arte vtatur necromantica; si laicus sit, ieiunet in singulis diebus Mercurii & Veneris per dimidium anni, pane & aqua; ceteris vero diebus cibo fruatur, excepta carne. Clericus vnum annum, vt supra, tribus diebus in septimana, pane & aqua, diaconus tres annos, vt supra, Missalis sacerdos quinque annos, eorumque vnum pane & aqua, & per ceteros quatuor vnamquamque diem Veneris pane & aqua; sed & in aliis diebus abstineat a carnibus.

XLII.

Si quis turpiter contra naturam & contra bonam Dei creaturam aliquo modo se inquinauerit, lugeat id quamdiu vixerit quod perpetravit.

XLIII.

Si quis in somno infantulum suum ita compresserit vt moriatur, ieiunet tres annos, vnum eorum pane & aqua, & in duobus aliis tres dies in qualibet septimana. Sin ex ebrietate acciderit, atrocius vindicator, vt confessarius docuerit; delinquens autem semper lugeat.

XLIV.

Si infans infirmus absque baptismo obierit ethnicus, & hoc ex culpa sacerdotis euenerit, amittat ille ordinatio- nis gradum, & solcite componat. Et si amicorum negligentia acciderit, ieiunent illi tres annos, vnum scilicet pane & aqua, & per duos reliquos tres dies in hebdomada, & id semper lugeant.

XLV.

Si quis Christianum aliquem infideli vendiderit, indignus sit vt aliquo fruatur Christianorum beneficio, nisi e contra eum denuo domum redemerit, quod foris venderat. Et si hoc non poterit, distribuatur precium illud Dei omnino gratia, captiuumque alium alio precio liberet,

& liberatum dimittat. Ad hoc præterea per triennium integre satisfaciat, prout confessarius suus designauerit. Et si desint ei facultates quibus captiuum redimat, grauefcatur eius pœnitentia in annos septem integros, & semper debeat.

XLVI.

Si quis multimodis peccatis seipsum valde labefactauerit, & hæc demum relinquere & solcite corrigere voluerit, declinet ocius ad monasterium, ibidemque Deo semper & hominibus, prout docebitur, inseruiat: vel a patria discedat longe, & pœniteat semper donec vixerit; succurretque saltem hic in terra animæ suæ profundissima emendatione quam inuenire possit, vt docebitur.

DE SATISFACTIONE.

I.

In hoc confessionis genere valde conduxerit ad peccati expiationem theologi alicuius auxilium, non minus quam in morbi curatione docti cuiuspiam medici consilium.

II.

Sæpe peccant homines e propria ipsorum concupiscentia, nec raro per diaboli instigationem. Illud vero formidabile est, quod ecclesiastici toties in Deum peccantes ordinis sui amittunt dignitatem.

III.

Ad hoc corrigendum opus est rigida pœnitentia; semper tamen iuxta modum ordinis & peccati, vt in Canonibus est sancitum. Et debet quilibet hanc ambire totis suis viribus & conatu, intimi etiam cordis ipsius anxietate. Alii pœnitentiam subeant vnus anni, alii plurium, sed pro modo semper delictorum. Alii mensis vnus, alii plurium mensium, alii vnus septimanæ, alii plurium septimanarum, alii vnus diei, & alii plurium dierum, & alii quidem omnium dierum totius vitæ ipsorum.

IV.

Oportet medicum qui integre sanabit grauia vulnera, exquisita habere medicamenta. Nulla autem adeo grauia sunt vulnera, vt peccati illa: hæc enim vulnera adigunt in æternam mortem, ni confitendo, respiscendo, & satisfaciendo sanata extiterint.

V.

Possunt igitur & vir & femina medici esse, qui curent hæc vulnera. Primum, fouendum est vulnus pio consilio: deinde emulgenda sanies venenosa, quæ putrescit interiorius: hoc est, vt confessione primum se purget.

VI.

Delebit vnusquisque peccata sua qui cum confessione salutiferam amplectitur doctrinam, non minus quam lethalem ille morbum, qui salutarem percipit a medico potionem.

VII.

Non potest medicus quispiam morbo aut vulnere recte mederi, donec exhausta fuerit sanies illa venenosa quæ putrescit interiorius: nec quis vnquam pœnitentiam illum recte doceat, qui confiteri renuit: nec sine confessione peccatorum cedere absolutionem, sicuti vt nec recte posset sanari qui mortiferum quid exhauserit, ni venenosus eius expellatur impetus.

VIII.

Peraçta confessione posset quis per pœnitentiam Dei misericordiam cito consequi, si hanc ex intimo suo corde fecerit, deploretque insuper se a diabolo seductum iniquitates suas perpetrasse.

IX.

Huiusmodi etiam confessioni valde conducit prudens emendatio, vt curatio morbi bono medico. De operibus etiam cuiusque potest confessarius secundum Canones inquirere, & moderari iuxta vires & facultates confitentium, prout sentiat cordis vniuscuiusque compunctionem & sollicitudinem.

X.

Profunda illa pœnitentia est, cum laicus deponat arma, & peregrinetur longe lateque nudus pedes: qui bis non pernoctatur loco vno: qui ieiunat multum, & vigilat: qui dies & noctes ardentem orat, & non inuitus semet conterit: & qui adeo est incultus, vt nec crines nec vngues ferro tetigit.

Pœnitentis
indicia.

XI.

Qui nec balneum intrat calidum, nec cubile molle, nec carnem gustat, nec quid e potibus, quod faciat ebrium:

qui ecclesiam non ingreditur, sed tamen loca sancta quaerit feruidus, & peccata confessus intercessionem rogat: qui neminem osculatur, semper autem reatus suos acerrime deplorat.

XII.

Propitius sibi agit qui in hunc modum se praëiudicat; & felix hic quidem licet nihilo magis inuigilet, quam ut plene se corrigat. Nemo enim per terrarum orbem grauis adeo vnquam peccator extitit, quin apud Deum componat, si hoc ardentius aggrediatur.

XIII.

Peccatorum apud Deum compositiones fiant variis modis, & ad eorum solutionem plurimum conducunt eleemosynæ.

XIV.

Cui ad hoc facultas suppetat, ecclesias ædificet in laudem Dei: & si præterea valeat, adiiciat prædia, & introducat iuuenes qui pro ipso sacrum præstent seruitium, & quotidie Deo celebrent ministeria. Instauret etiam pro facultate sua ecclesiam Dei, & vias publicas: aquis inuisi adiungat pontes, etiam & cœnosis locis. Distribuat Dei gratia id quod habet, & maxima qua possit diligentia. Egenis assidue subueniat, viduis, orphanis & peregrinis. Seruum suum proprium manumittat, redimatque ab aliis suos seruos manumittendos, pauperem præsertim bello captum: inopesque pascat atque vestiatur, tectum, focum, balneum & grabatum eis præbeat: & in sui ipsius necessitatem, vbique locorum comparat intercessionem ex Missis & psalmis decantandis; & seipsum in deuotione erga Dominum Deum suum castiget valde acriter, per abstinentiam a cibo potuque, & ab aliis quibuscumque corporis cupiditatibus.

XV.

Cuicumque autem minus suppetat facultatum, operam quam enixius possit dato, ut in deuotione erga Deum decimas reddat ex omnibus quæ possidet, examinet seipsum toties quoties poterit, & cum eleemosynis suis crebro visitet ecclesias, & loca sancta luminibus salutet. Et præbeat hospitium, edulium, & protectionem quibus opus fuerit, focum etiam & alimentum quodlibet, lectum, & balneum,

neum, & curet vestiendum adiuuandumque pauperem quoad poterit.

XVI.

Ex amore Dei ægros animo & ægrotos visitet, mortuos sepeliat: prouolutus sæpe in occulto super genua, sæpe super terram prostratus & extensus ieiunet, vigilet, oret noctes atque dies solertissime. Qui minoris adhuc potestatis est ad hæc omnia perimplenda, faciat tamen quantum poterit, & enixius. Conterat iam labore corpus suum aduersus libidinem, si quando per mollitiem & libidinem diabolo complacuerit. Ieiunando nunc peccatum corrigat, quod per ingluuiem prius perpetrauerat. Euigilet etiam & laboret, si quando e contrario somnolentus fuerit & acedia deditus, cum sic minime debuisset, vel quod alias supra modum euigilasset inutiliter. Affligat se frigore & rigenti balneo propter æstum illum quo in libidinis usquam rapiebatur vitium. Si ipse alicubi iniuste alium offenderit, satisfaciat solícite: & si quis ipsum offenderit, pacate ferat, in quantum poterit, contra peccata illa quæ in semetipso ex diaboli femine adoleuerint. Et si quempiam de via seduxerit, ut sibimetipso lucri quidpiam inferret, reducat eum diligenter in rectam viam: hoc est quod volo. Si quempiam ad peccandum prouocauerit, faciat illi quod est necessarium: reducat scilicet a peccatis, & conducatur denuo in viam rectam. Qui alium a peccando solícite dehortatur, sui ipsius peccata leuiora reddit.

XVII.

Hoc idem iudicium potest quisque confessarii sui consilio sibimet inferre, qui constanti animo sua vult abrumperere peccata, eademque corrigere. Distribuat scilicet ob amorem Dei omnia quæ habet, deserat cum eisdem terras, patriam, & mundi huius omnia desiderabilia, & Domino suo noctes diesque seruiat, nitaturque omnibus quibus potest neruis contra proprias suas cupiditates per totius vitæ suæ extensionem. Quid huic denique restat? Si quidem ut alios exhortando sibi aggreget in pietatis studium, modis quibus possit exactissimis.

Hic in sequentibus dicitur, quonam modo ægrotus quis posset indictum ieiunium redimere.

XVIII.

Quisque poterit vnus diei ieiunium vnico denario red-

Concil. Tom. 25.

Y

imere. Potest etiam vnusquisque vnus diei ieiunium ducentis & viginti psalmis redimere. Potest etiam quisque duodecim mensium ieiunium triginta solidis redimere: vel vnum aliquem liberando tanti æstimatum: & pro vnus diei ieiunio decantet vir ille senis vicibus, Beati: & senis vicibus, Pater noster. Et pro vnus diei ieiunio genuflectat homo ille, & ad terram se inclinet sexaginta vicibus, dicens: Pater noster. Possit etiam quis vnus diei ieiunium absoluere, si in oratione semetipsum per omnia membra sua Deo extendat, vera contritione & fide recta, & quindecim vicibus cantet, Miserere mei Deus: & quindecim etiam vicibus, Pater noster. Iam tum conceditur illi totius diei peccatorum alleuatio.

XIX.

Septenne ieiunium potest quis in anno vno absoluere, si quotidie cantauerit psalterii psalmos, itidemque nocte, & quinquaginta vespere. Vnica etiam Missa potest quis absoluere duodecim dierum ieiunium: & cum decem Missis eximatur quatuor mensium ieiunium: & cum triginta Missis potest quis eximere totius anni ieiunium, si voluerit ex vero Dei amore pro seipso intercedere, & peccata sua suo confiteri confessario, eademque prout is edixerit emendare, & semper postea declinare.

DE MAGNATVM POENITENTIA.

I.

Hoc modo potest vir illustris, & amicis fretus, amicorum ope leniorem reddere suam poenitentiam. Primum in Dei nomine, & confessarii sui testimonio, manifestet fidem suam rectam esse: & condonet omnibus qui in eum quid peccauerint, & faciat confessionem suam absque omni omissione peccatorum; polliceaturque respiscenciam, & suscipiat poenitentiam cum multo gemitu.

II.

Deponat tunc arma sua & inutilia quæque *reanca*, & accepto sibi in manum scipione, vadat diligenter nudus pedes: laneis vtatur vel cilicio, & non intret lectum, sed in casa iaceat. Faciat hoc, dum septem compleatur annorum numerus. Paret se per triduum hunc in modum: fumatque sibi in auxilium duodecim socios: ieiunent tres dies pane & crudis oleribus & aqua: & acquirat præterea

quaqua poterit ad opus consummandum septies centum viginti homines, qui ieiuent singuli illius gratia totum triduum, tres videlicet quisque dies. Sic accrescet horum ieiuniorum numerus ad tot ieiunia, quot sunt dies in toto septennio.

III.

Cum quis ieiunauerit, distribuatur fercula, seu eduliorum preparationes, quibus ipse frueretur, omnibus Dei pauperibus: & in tribus illis diebus sui ieiunii seponat mundana quaecumque negotia, dieque & nocte quoties poterit ecclesiam petat, & eleemosynario lumine ibidem vigilato sollicito, & clamet ad Deum, peccatorumque exoret remissionem lugenti animo & genibus innixus. Saepe etiam se extendat super signum crucis, nunc erectus, nunc in terram prostratus. Discat etiam vir quisque potens lacrymas ab oculis suis sincere fundere, & peccata sua deplorare. Pascat etiam in triduo illo tot egenos quotquot prorsus valeat. Quarto autem die lauet omnes, ciboque donet & pecunia. Quin & ipse qui hanc agit poenitentiam, pedum eorum incumbat lotioni: celebrenturque ea die pro eodem poenitente tot Missae, quot vlla vnquam industria comparare quisquam poterit, & Missarum earum tempore exhibeatur illi absolutio: & iam tum suscipiat eucharistiam, nisi quod ex nimio reatu suo adeo impeditus ut hanc adhuc non accipiat. Spondeat tamen se in posterum Dei, quantum poterit, semper operaturum voluntatem, omnemque iniustitiam, auxiliante Deo, usque vixerit declinaturum; ita ut perpetuo & praecipue Christianitatem recte teneat, & gentilismum omnino explodat. Cogitate, ministri Dei, verba & opera eius sollicito corrigere, ut sic iustitiam omnem erigat, & auxilio Dei iniustitiam, quantum poterit, semper destruat solertissime. Maxime necessarium est ut is Deo id praestiterit quod vel in minimis est pollicitus.

IV.

Haec est magnatum, & eorum qui amicorum fruuntur multitudine, poenitentiae alleuatio; sed non datur inopie procedere. Oportet igitur a seipso fortius hanc exigere: & illud quidem est aequissimum, ut vnusquisque suas per se luat iniquitates, correctionemque subeat studiose. Scriptum est enim, *quia vnusquisque onus suum portabit.* Ezech. 18.

Concil. Tom. 25.

Y ij

ORATIO EDGARI REGIS

AD DVNSTANVM ARCHIEPISCOPVM
Cantuarix, Osvaldum Vvigornix, & Ethelwaldum
Vventanx, episcopos.

In qua clericorum coniugatorum enumerat vitia, eiiciendosque decernit, & introducendos monachos. Curam rei his mandat episcopis regia fultis auctoritate.

Officium
regis in se-
cularibus.

In ecclesia-
sticis.

Episcopos
insimulat
negligen-
tia.

Clericorum
enumerat
vitia.

QVONIAM magnificavit misericordiam suam Domi-
nus facere nobiscum, dignum est, o patres reueren-
dissimi, vt innumeris illius beneficiis, dignis respondeamus
operibus. Neque enim in gladio nostro possidemus
terram, & brachium nostrum non seruauit nos, sed dex-
tra eius, & brachium sanctum eius, quoniam complacuit
illi in nobis. Iustum proinde est, vt qui omnia subiecit sub
pedibus nostris, subiiciamus illi & nos & animas nostras,
& vt hi quos nobis subdidit eius subdantur legibus non se-
gniter elaboremus. Et mea quidem interest laicos cum æ-
quitatis iure tractare, inter virum & proximum suum ius-
tum iudicium facere, punire sacrilegos, rebelles comprime-
re, eripere inopem de manu fortiorum eius, egenum
& pauperem a diripientibus eum. Sed & meæ sollicitudinis
est ecclesiarum ministris, gregibus monachorum, choris
virginum, & necessaria eorum procurare, ac salutem & quietem,
vel paci consulere. De quorum omnium moribus ad nos spectat
examen, si vixerint continenter, si honeste se habeant ad eos
qui foris sunt; si diuinis officiis solliciti, si ad docendum
populum assidui, si victu sobrii, si habitu moderati, si in iudiciis
sint discreti (pace vestra loquor, reuerendi patres) si ista solerti
scrutinio curassetis, non tam horrenda & abominanda ad aures
nostras de clericis peruenissent.

Taceo quod non est illis corona patens, nec tonsura
conueniens: at in veste lasciuia, insolentia in gestu, in
verbis turpitudine, interioris hominis produnt insaniam.
Præterea in diuinis officiis quanta sit negligentia, cum sa-
cris vigiliis vix interesse dignentur, cum ad sacra Missarum
solemnia ad ludendum, subridendum, magis quam

ad pfallendum, congregari videantur. Dicam quod boni lugent, mali rident, dicam dolens & (si tamen dici potest) quomodo diffluant in comestationibus, in ebrietatibus, in cubilibus & impudicitis, vt iam domus clericorum putentur prostibula meretricum, conciliabulum histriionum. Ibi alea, ibi saltus & cantus, ibi vsque ad medium noctis spatium protracta in clamore & horrore vigilia. Sic patrimonia regum, eleemosynae pauperum, imo (quod magis est) illius preciosi sanguinis precium profligatur. Ad hoc ergo exhauserunt patres nostri thesauros suos? ad hoc fiscus regius, detractis redditibus multis, elargitus est? ad hoc ecclesiis Christi agros & possessiones regalis munificentia contulit, vt deliciis clericorum meretrices ornentur, luxuriosa conuiuia praeparantur, canes, ac aues, & talia ludicra comparentur? Hoc milites clamant, plebs submurmurat, mimicantant & saltant, & vos negligitis, vos parcitis, vos dissimulatis. Vbi gladius Leui & zelus Simeonis, qui vt scorto abutentes filia Iacob Sichimitas (eorum habentes figuram, qui Christi ecclesiam pollutis actibus foedant) etiam circumcisos succiderunt? Vbi spiritus Moyfis, qui caput vituli adorantibus etiam domesticis sui sanguinis non pepercit? Vbi pugio Phinees sacerdotis, qui fornicantem cum Madianita confodiens sancta hac emulatione Deum placauit iratum? Vbi spiritus Petri, cuius virtute perimitur auaritia, haeresis simoniaca condemnatur?

Patrimonium ecclesiae pauperum est, non luxuria.

Iterum accusat episcopos negligentia.

Aemulamini, o sacerdotes, aemulamini vias Domini & iustitias Dei nostri. Tempus insurgendi contra eos qui difsiparunt legem Dei. Ego Constantini, vos Petri, gladium habetis in manibus. Iungamus dexteris: gladium gladio copulemus, vt eiiciantur extra castra leprosi, vt purgetur sanctuarium Domini, & ministrent in templo filii Leui, qui dixit patri & matri: Nescio vos, & fratribus suis: Ignoro vos. Agite quaso solicite, ne poeniteat nos fecisse quod fecimus, dedisse quod dedimus: si viderimus illud non in Dei obsequium, sed in pessimorum luxuriam impunita libertate consumi. Moueant vos sanctorum reliquiae in quibus insultant, veneranda altaria ante quae insaniunt. Moueat vos antecessorum nostrorum mira deuotio, quorum eleemosynis vesania clericalis abutitur. Proauus meus Edvardus,

Hortatur ad vindicandum scelera.

Antecessorum eius munificentia.

vt scitis, omnem terram suam ecclesiis & monasteriis decimauit. Sanctæ memoriæ atauus meus Aluredus, vt ecclesiam ditaret, non thesauris suis, non patrimonio, non sumptibus, non redditibus, parcendum putauit. Auus meus senior Edvvardus quanta contulerit ecclesiis, paternitatem vestram non latet. Pater meus & frater quibus donariis Christi altaria cumulauerint, meminisse vos decet.

Dunstanum
sigillatim
prouocat.

O pater patrum Dunstane, contemplare quæso patris mei oculos ab illa lucida cæli plaga in te radiantes. Audi querulas eius voces cum quadam pietate in tuis auribus resonantes: Tu mihi pater, Dunstane: Tu mihi de construendis monasteriis, de ecclesiis ædificandis, consilium salubre dedisti: Tu mihi adiutor in omnibus & cooperatore exististi: Te quasi pastorem, patrem & episcopum animæ meæ morumque meorum custodem elegi. Quando tibi non parui? Quos vnquam thesauros tuis consiliis prætuli? Quas possessiones, te præcipiente, non spreui? Si quid pauperibus erogandum existimabas, præsto fui. Si quid conferendum ecclesiis iudicabas, non distuli. Si quid monachis clericisve deesse querebaris, suppleui. Æternam dicebas elemosynam esse, nec aliam fructuosiorē, quam quod monasteriis ecclesiisve confertur, quo Dei serui sustententur, & quod superest pauperibus erogetur. O preciosam elemosynam, & dignum animæ precium! O peccatis nostris salubre remedium! quod a sinu Sibyllæ in peregrini muris pellicula fœtet, quod eius auriculas ornat, quod componit digitulos, quod corpus delicatum in bysso stringit & purpura. Ecce, pater, elemosynarum fructus mearum, & tuæ permissionis effectus.

Elemosy-
næ laus.

Regiam
opem cedit.

Quid huic querimoniam respondebis? Scio, scio, cum videbas furem, non currebas cum eo, nec cum adulteris portionem tuam ponebas. Arguisti, obsecrasti, atque increpasti. Contempta verba sunt, veniendum est ad verbera, & non deerit tibi potestas regia. Habes hic tecum venerabilem patrem Ethelvvaldum Vintoniensem episcopum: habes reuerendum præfulem Vvignoniensem Osvaldum; vobis istud committo negotium, vt & episcopali censura & regia auctoritate turpiter viuentes de ecclesiis eiiciantur, & ordinate viuentes introducantur.